

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
alcuni passaggi del testamento
di Michele da Cantono*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
alcuni passaggi del testamento
di Michele da Cantono*

1335-08-29

In nomine domini Iesu Christi amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo quinto, die vigesimo nono mensis agusti tertie¹ inditionis apud Rhegium. Regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia illustrissimo Ierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, et Pedemontis comite. Regnorum eius anno vigesimo septimo feliciter amen.

Nos Nicolus de Yeria iudex civitatis Rhegii, Ioannes Chaleli publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie notarius, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod pretitulato die magnificus et egregius vir dominus Guglielmus Ruffus de Calabria, comes Sinopoli, ac capitaneus huius civitatis Rhegii, suis districtum ex una parte, et nobilis vir Guglielmus de Poditaria de Messana, vicarius in partibus Calabrie magnifici egregii viri nobili magistri Micheli de Cantono de Messana, regius consiliarius familiarem ex parte altera. In nostra presentia constitutus animo obligandi se dictus Guglielmus de Poditaria sponte confessus est se recipisse a dicto magistro Michaelae quasdam litteras eiusdem magistri Michaelis, noto et consueto sigillo, ac subscriptione eiusdem domini magistri Michaelis munitas, ut dixit idem Guglielmus coram nobis se in mandatis directas, quas vidimus, legimus et inspessimus diligenter, quarum litterarum inter alias similiter litteras directas per manus domini magistri Michaelis dicto comiti, sigillo et subscriptione dicti magistri Michaelis munitas, eorum dixerunt quas similiter vidimus, legimus et inspeximus diligenter, et tenor ipsarum litterarum talis est. Propter quod postquam

ita Domino placuit sum contentus, quod predicta bona Giracii reveantur ad predictum dominum comitem, vel suum filium supradictum, cum receptis per te apodixis et cauthelis quas habet prefatus dominus comes de solutione certe partis dotis prefate, nec non quietationibus et permissionibus publicis quod de dote ipsa nihil aliquo tempore postulabit, vel faceret postulare, quam quantitatem ut praefertur exhibeas, et assignas statim prefato domino comiti possessionem integram et totalem in testimonio publico bonorum omnium predictorum positorum in civitate Giracii, et suo districtus, de quibus est plenius informatus, et nihilominus ego prefatas cauthelas predicto notario Gualterio resignabo, ut abundantio rem cauthelam tam istis quam aliis litteris exhibeas predicto domino comiti, manu propria mea subscripsi, scriptum ut supra. Ego prefatus Michael de Cantoro de Messana premissis me subscripsi. Cumque dictus dominus comes et Guglielmus Poditaria volunt predicta adimplere, et ad finem debitum ducere preceptorum predictus Guglielmus Poditaria auctoritate litterarum ipsarum in plenam vacuum et corporalem possessionem induxit per fustem dictum dominum comitem, bonorum omnium predictorum, tam pheudalium videlicet pheudi dicti de Militini et regalium, quam burgensaticorum occupatorum, ut asseruerunt per eundem dominum comitem a quibusdam iudicibus de Giracio, et aliis personis, que omnia predicta bona sita sunt, ut asseruerunt, in predicta civitate Giracii, Agrotterie, Bubalini et tenementis eorum, olim empti per eundem dominum magistrum Michaellem a notario Nicolao Tropeano de Giracio, certis modo et forma cum assensu regio, ut asseruerunt et que olim dictus comes tenebat et possidebat pro suis. Procuratoris

dicti Guglielmi Poditaria, dictus dominus magister Michael, restituit dicto domino comiti, cum certo suo nuncio promittendo, cauthelas dictus dominus magister Michael, vel Girardus filius suus, vel heredes sui habuerunt et habent, vel sperant habere super bonis eisdem, vel partibus eorum, tam a dicto domino comite, quam a dictu notario Nicolao Tropeano regie curie in aliis quibuscumque partibus, et eidem domino comite ad cauthelam suam, idem dominus magister Michael de premissis facere, et fieri facere, publicum instrumentum, iuxta consilium sapientum, et omni debita solemnitate vallatum. Pro nominata auctoritate, dictus comes zelo, maxime fraternalis dilectionis, quam erga prefatum dominum magistrum Michelem gessit, et gerit, ut dixit nec non pro causa restitutionis et assignationes bonorum predictorum facta sibi per eundem Guglielmum Poditaria, nomine et pro parte ipsius domini Michaelis, ut superius enarratur cessit, dedit in presentiarum et habere concessit dicto domino magistro Michaeli, suis heredibus et successoribus in perpetuum, omnes dictas pecunias et iocalia eidem domino magistro Michaeli, vel Girardo filio suo, olim traditas et assignatas per dictum dominum comitem, ut asseruit in dotem, et dotis nomine, quondam domine Colelle filie sue, ipsius domini comitis tunc a convenientis nomine filie in matrimonio, iuxta eundem dominum magistrum Michaeli, nomine et pro parte Girardi prefati filii sui, et eundem dominum comitem nomine et pro parte dicte quondam domine Colelle filie sue ex parte altera, et idem dominus comes se contentum fore a dicto domino magistro Michaeli, de omnibus dotibus ipsis, ut praedicitur integre satisfactum sponte dictus dominus comes absoluit quietavit et liberavit

coram nobis dictum magistrum Michaellem, et predictum Girardum filium suum, licet absentibus, tam quam presentibus, et eorum heredibus et successoribus in perpetuum, de omnibus et pro omnibus, et singulis dotibus, sicut et reservationem omnimodum eidem domino magistro Michaeli et Girardo licet absentibus, tam quam presentibus; idem dominus comes relaxavit de non petendo, aliquid eidem domino magistro Michaeli et Girardo, et heredibus eorum, de dotibus et pro dotibus ipsis, per se haeredes et successores suos, per aquilianam stipulationem, et stipulationem sequutanem provideque, idem dominus comes resignavit in nostri presentia, si quas rationes et cauthelas, seu apodixas habuit, ut dixit a dicto domino magistro Michaeli, vel alios, conventiones et assignatione dotium earundem ipsi Guglielmo Peditaria predicto lacerandas per manus Guglielmi, et de ipsis quidquid voluerit faciendi. Et sponte convenit, et promisit idem dominus comes, per se et heredes suos, eidem Guglielmo Poditaria, in nomine quo supra, ipsis apodixis ex nunc in antea non uti, et si forte aliquando futuro tempore aliqua apodixa ipsarum dotium, vel partes ipsius, seu earum transumptum apparuerit quod nullam habeant et habent roboris firmitatem, in curia et extra curiam, ex nunc in antea debeant esse irrita atque cassa, et nullius valoris. Renunciantes prius dictus dominus comes et Guglielmus Peditaria exceptioni doli, fraudis et ignorantie, metus, seu vis, in factum, conditioni sine causa, privilegium fori, restitutionis in integrum, et non receptarum, et non habitarum dotium predictarum et legi dicenti generalem renunciationem iurium non valere, et generaliter omnibus aliis iuribus et legibus, constitutionibus et consuetudinibus, scripto et non scripto, iuri canonico et civili, quibus contra

predictam vel aliquid premissorum venire possent, vel se tueri, vel iurare valerint aliqua ratione, exceptioni, allegationi iurium, modo, vel causa. Consensientes prius in presenti tam in me predictum iudicem et dictum Guglielmum Poditaria similiter, et in me predictum notarium publicum tamquam in suos, cum ex certa eorum scientia scirent, me iudicem et notarium in hac parte non esse iurisdictionem nostram refici possit, et valeat semel bis, et ter, iuxta consilium sapientum et non vitiata substantia veritatis.

Unde ad futuram memoriam, et tam dicti domini comitis, quam dictorum domini magistri Unde ad futuram memoriam, et tam dicti Domini Comitis, quam dictorum Domini magistri Michaelis, et Girardi filii sui, eorumque heredum perpetuo, cauthelam rogatum ipsorum domini comitis et Guglielmi Poditaria facta sunt duo publica instrumenta omni attentione, quorum unum est presens scriptum et subscriptum per manus mei predicti notarii publici, signo meo solito signatum, nostrum qui supra iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Actum anno, mense, die, loco et inditione praemissis. † Ego qui supra Nicolaus de Ieria de Rhegio iudex civitatis Rhegii testor. † Ego iudex Guglielmus Duca de Mileto testor. † Ego Nicolaus de Carbono predicta testor. † Ego Thomasius de Amantea predicta testor. † Ego Ioannes de Prothopapa de Calanna predicta testor. † Ego notarius Guglielmus Belduinus de Stilo predicta testor. † Ego notarius Costantinus de Mathia de Monasteraci me subscripsi. † Ego Ioannes de Cananni de Rhegio predicta testor. † Ego Bartholomei de Loguteta Protontinus, miles civitatis Rhegii predicta testor. † Ego Petrus de Capua predicta testor. † Ego

Petrus de Loguteta, rheginus canonicus, testor. † Ego Iacobus de Loguteta testor. † Ego Nicolaus de Chili predicta testor. † Ego qui supra Ioannes Caleli publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie, regia auctoritatem notarius presens publicum instrumentum scripsi, me subscripsi, et meo solito signo signavi.